

Tomus XIII
Miscellanea Philoby.

[Handwritten signature or initials]

thesa
Diffi
Gra
Iuc
Mo
Pos
Ex
Pen
Ex
Ch
Se
Al
Ex
C
S
S
V
C
J
E
T
P
G
E



47.
48
ΠΕΝΤΑΣ
POSITIONUM

ex

Lingva Ebræâ, Chaldæâ, Syrâ,
Arabicâ & Æthiopicâ,

quas,

Divinâ Gratiâ favente,

In Celeberrimâ Academiâ Leucoræâ

publicè ventilandas proponunt

M. JOHAN: ERNESTUS GERHARDUS
JENENSIS,


&

PETRUS WENZEL

Stetin: Pomeranus.

ad d. XVII. Februarij

In Auditorio Philosophorum
horis antemerid.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
clō 106 XLVII,



VIRIS

Praclarissimis ac Excellentissimis,

Dn. M. JOHANNI MICRELIO,
Illustris Pædagogij Stetinen-
s Rectori, & Philosophicarum
disciplinarum Professori fide-
lissimo.

**Dn. M. HEINRICO KIELMAN-
NO,** Illustris Gymnasij Stetinen-
sis ConRectori, Græcæ Lingvæ &
Poës. Prof. bene merito.

**Dn. M. CHRISTOPHORO PRÆ-
TORIO,** Illustris Gymnasij Sub-
Rectori & Eloquentiæ Professori.

Dn. M. JOACHIMO FABRICIO,
Pædagogij Stetinen-
sis Professori
& Musico.

Dn. M. ERICO PELSHOFFERO,
Senatoriæ Scholæ apud Stetinen-
ses Rectori valdè industrio, Affini
meo honorando.

Dn. M. MARTINO BAMBAMIO,
Senatoriæ Scholæ Stetinen-
sis ConRectori & Poet. Laur.


Dn. M. THOMÆ WISMARO,
Scholæ Senatoriæ Stetinen-
sis SubRectori solertissimo, Affini
meo dilecto.

*Dominis Mæcenatibus, Faatoribus ac PRÆ-
CEPTORIBUS olim paterno more fidelissi-
mis, hoc breve philologicum exercitium, quia
pro hac vice aliud non datur munus, ex fe-
licali & gratissimo animo humiliter offero*

PETRUS Wands.

POSITIO I.

Regula Hieronymi de voce **חַיִּי** *expensa, quando aeternitatem illa notet, & quando tempus saltem diuturnum.*

 Holem prope literas indagheschabiles scribi sine Vav, tritus est Grammaticorum canon: sed quod veritati non semper ille litet, jam pridem ab aliis ostensum. Placet impraesentiarum id ipsum demonstrare exemplo dictionis **חַיִּי**, quam nonnunquam sine Vav scribi, aliquando etiam cum eodem, inpropatulo est, adeo quidem, ut ex diversa hac Scriptione D. Hieronymus Comm. ad Cap. 1. ad Galat: colligere voluerit, quando praedicta vox aeternitatem notet, & quando breve temporis spacium. Si scilicet cum Vav scribatur, aeternitatem notare; si vero sine eo, quinquagesimum annum, quem Jubilaeum Iudei vocant, Hieronymi sententia est. Negari sane poterit ne utiquam, quod **חַיִּי** interdum aeternitatem, interdum tempus finitum indiget, & confirmationi sententiae ac regulae Hieronymianae inserviunt loca, Gen. 21. 33. Psal. 9. 8. 33. 11. 102, 13. Es. 40, 28. ubi cum sustentaculo invenitur ac etiam aeternitatem notat: sed inveniuntur exempla, ubi cum Vav tempus saltem longinquum, & sine eo aeternitatem significat, adduciturque; a Dn. D. Glassio Orat. de Ling. Ebr. necess. pro prioris adserti confirmatione Deut. 15, 17. pro posterioris Exod. 3, 15. Sed excipiat aliquis cum Floravantio lib. 1. de Trin. C. 3. *discrimen hoc, quod ex Hieronymo allatum, in exemplaribus correctioribus, quibus Hieronymus usus fuerit, perpetuum fuisse.* Sed opponimus sententiae huic constantem Codd. Ebraeorum lectionem, quos omnes minus correctos, quis quae so, fontiū puritatē agnoscens velit adserere? at verò hi omnes loco Exod. 3, 15. a D. D. Glassio allegato, vocem **חַיִּי** de Deo adhibitam ac veram aeternitatem denotantem defectivè exhibent. Adjungimus insuper adducto loco alia loca sc. Exod. 15, 18. ac Deut. 32, 40. ubi similiter de vera aeternitate sermo est, & tamen Cholem fulcro suo in omnibus Codd. hodie destituitur. Urgemus 2. Masoram utramque, quam non

A 2

imme-

immeritò cum Judæis לתורה סיוג aliquis dixerit. Illa au-
 tem non solùm ad prædicta loca (Magna quidẽ ad primum sal-
 tim locum, at parva ad omnia tria) observat, cholem fulcro
 suo carere, sed insuper, (quæ summa est ac prope stupenda Ju-
 dæorum in libello isto diligentia ac circa puritatem verbi divi-
 ni conservandam zelus ardentissimus) ostendit, quoties in totâ
 lege aliisq; divini foederis tabulis vox לעלם defectivè, h. e. sine
 sustentaculo Vav וְ cholem reperiatur. Quamvis autem ad
 sedecim saltim loca suum חס יו de prædictâ sc. voce addide-
 rint Masorethæ, in Masorâ sc. parva, nimirum Gen. 3, 22. Exod. 3,
 15. Cap. 15, 18. c. 21, 6. (ubi insuper in Masora parva hæc addun-
 tur כל אורי חס' ב' מ' ב', quibus indicatur, quod in totâ Lege
 præterquam in duobus tantùm locis, sc. Exod. 19, 9. ubi itidem
 hoc notarunt Masorethæ nota margin. כתיב ב' מ' ב' ac Deut. 23,
 6. quemadmodum hoc ipsum ostendit nota Masor. ibidem
 חס' ב', defectivè h. est sine fulcro וְ in לעלם cholem invenia-
 tur) Exod. 31, 17. C. 32, 13. (hoc quidem in loco Buxt. in Conc. mi-
 nùs rectè cum fulcro exhibet) Lev. 25, 46. Deut. 5, 29. c. 32, 40.
 1. Reg. 1, 31. c. 2, 33. c. 9, 5. c. 10, 9. Job. 7, 16. Ps. 75, 10. 92, 9. patet
 tamen ex illâ ipsâ notâ, octodecim debere esse loca. Inde re-
 ctè quoq; Buxt. numerum complet, addendo Gen. 6, 3. ac Ps. 45,
 18. quibus in locis itidem defectivè invenimus in Codd. Ebrai-
 cis, præterquam in Bibl. *Ariæ M.* quæ ultimo loco cum וְ exhib-
 bent. Putamus tamen Buxtorffii aliorumq; lectionem hic præ-
 ferendam *Ariam*. Sic עלם Eccl. 3, 11. & עלמו Eccl. 12, 6. semel
 saltim (Masorâ id suo חס' ב' indicante) defectivè inveniun-
 tur, quemadmodum לעלמים ter, sc. Psal. 145, 3. Eccles. 1, 10. &
 Dan. 9, 24. prout nos docent hoc notâ suâ בליש' חס' ג' i. e.
ter deficiens in hac (plur. numeri) *formâ*, quam ad duo priora
 loca ipsi addiderunt. Remanet igitur in reliquis locis ac for-
 mis tempore Masoretharum h. e. antiquissimo in Codd. Ebrai-
 cis, annon correctis? lectum fuisse cholem cum וְ. An autem
 ubiq; etiam æternitatem notat? nolumus jam adducere locum,
 Es. 54, 17. ubi עלמים Kimchi כסס exponit העולם
 הזה והעולם הבא (quid per עולם הבא intelligant Judæi,
 eruditè

eruditè ostendunt Philologi, in illorum scriptis non peregrinè
Buxt. Lex. Rabb. voce עולם & Hacksp. ad Lipmanni Nizachon
 c. 2. p. 354.) quibus idem *Kimchi* subjungit וכן צור עולמים
 (Es. 26, 4.) nec urgebimus etiam עולמים Psal. 61, 5. quod de
 ארוכים intelligit idem *Kimchi*. Placet verò sententiæ illi,
 quod לעולם cum sustent. *aternitatem* denotet, opponere Gen.
 17, 8. ubi Deus promittit, se *Israelitis daturum terram Canaan*
 לא אחזת עולם ubi ad tempus saltem Messiaë adventûs respec-
 tum haberi, probat Dn. D. *Glass.* ex Gen. 49, 10. & experientia
 etiam comminationem divinam Deut. 28, 64. comprobavit.
 Addimus alia loca sc. 2. Sam. 12, 10. & 1. Par 15, 2. ubi ער-עולם
 de tempore vitæ saltem exponit *Kimchi* בכס. Annon verò &
 מעולם Jer. 5, 15. tempus finitum notat? annon etiam hoc ipsum
 c. 2, 20. rectè id. exponit per מזמן רב. Sanè quod ap. Eund. Proph.
 c. 25, 9. עולם futurum prænunciatur, statim v. seq. 11. ad septua-
 ginta restringitur annos, prout observat *Glassius*. Sed regerat
 aliquis ulteriùs, Hieronymum non de *absolutâ aternitate* loqui,
 sed de tempore admodùm longo, vel nobis incognito, idq; suffi-
 cere ad distinctionem *temporis Jubilei*, cui terminus definitus,
annus sc. quinquagesimus. Sed, ut ut *Hieronymi* verba plerique
 Auctores aliter exponant, adhuc obstat Hieronymi sententiæ
 Deut. 15, 17. ubi integrè עולם reperitur, ac tamen de *Jubileo* sal-
 tem *tempore* sermonem esse, nemo non ex aliis Scripturæ locis
 colligit. Sanè *Kimchi* etiam Exo. 21, 6. legit integrè ועברו לעולם
 ubi similiter de *Jubileo* saltem tempore sermonem esse, Dn. D.
Glassius, qui itidem integrè exhibet, notat, imò etiam רל, cit.
Kimchio, ita exponit כל הימים ער היובל: Sed cum ex-
 pressè ad h. l. Masorethæ addiderint כל אוריו הם כלב, *alludentes*
 eo ad loca, Exod. 19, 9. & Deut. 23, 6. ut supra vidi-
 mus, nolumus, nec possumus etiam locum istum *Hieronymo*
 opponere. Addimus autem εν μεγιστ 1. Sam. 1, 22. ubi
 ער-עולם de certo ac finito saltem tempore sumendum esse, in
 propatulo est, atq; ita etiam רדק ad illum locum accipit, dum
 dicit: וימי חייו לוי ונתתיו לוי כל ימי חייו qui insuper subjungit de
Levitarum seculo עולם h. l. accipi של עולם שם חמשים שנה ומשכא לבית יי ער יום



שנה שני (וירי ח כה) ומבן המשים שנה יושב מצ א
 עולם של ליום המשים; quando ad h. l. commentatur; שנה שני
 עולם שנה שני (וירי ח כה) ומבן המשים שנה יושב מצ א
 nec abluat, cujus hæc ad h. l. observatio: העברה
 עולם שהוא יובל אמרו זל שכבר ישב שם המשים
 שנה כעלמו של יובל ולזה אמרו שכל ימיו &c.
 Stat, igitur nostra advertio, quòd non solùm defectivè sive
 sine, veram & absolutam interdum notet æternitatem, verùm
 etiam, quòd de finito tempore adhi-
 beantur: contrà ac sensit *Hieronymus*, Pater aliàs ut sanctissimus,
 ita quoad has litteras omnibus Patribus (excepto forsan *Origi-
 ne*) præferendus; quem tamen dormitasse etiam in his nonnun-
 quam, deceptum à Judæis, Patrum scita sine delectu sequitis,
 adfirmare etiam non dubitat *CL. Hacksp.* disp. de nomine יהוה
 i. th. 6. Sed instas: unde igitur cognosci potest, quando prædicta
 vox עולם, itemq; מעולם & לעולם æternitatem notet, &
 & quando non? Respondemus, ex *Hieronymi* datâ regulâ ha-
 beri id non posse, quàm n. non firmum è vocis hujus scripture,
 diversâ petatur argumentum, ex dictis liquet; ex integrâ igitur
 phrasi ac contextu, quo sensu adhibeatur, cognosci posse pu-
 tamus. Ita phrasis illa, מקדם מימי עולם Mich. V, 2. quia
 nuspiam in S. Codice duntaxat tempus longinquum post mun-
 dum creatum indicat, sed potiùs absolutam æternitatem ante
 mundi creationem, ut tradit *B. Gerhardus Coll. Isagog. Luc. IV.*
 c. 2. §. 16. inde rectè ex illâ à nostris Theologis contra Photin.
 concluditur vera Messiaæ secundùm divinam naturam æternitas,
 & sic etiam divinitas. Sed cùm hæc talia ad superiorem per-
 tineant cathedram, quapropter meritò etiam eò remittimus,
 quemadmodum etiam: illa omnia, si quæ forsan hætenus allata,
 ad istam spectantia.

POSITIO II.


*Rejicitur etymologia nominis Evæ è Lingua Chaldaicâ,
 adduciturq; vera è Lingva Ebraea & con-
 firmatur.*

Magni quidem facimus Linguam Chaldaeam, quippe
 quam

quam DEUS ipse tanti fecit, ut in *Lege, Prophetis ac Hagiographis*
 illius indicia haut obscura conspici voluerit: non tamen arride-
 re nobis potest studium eorum, qui illorum etiam nominum
 origines è Chaldaica arcessunt Lingvâ, ubi tamen melius, certè,
 æquè benè in Ebræo horto radix hujus surculi investigari po-
 test. Referenda huc etymologia nominis חַוָּה Eve, quod
 בעל הטורים (de quo scripto non falsū כבודם tulit judiciū Cl.
Schick.) à חוה i. e. locutus fuit, derivat, ita n. ad Gen. 3. commētatur
 וַיִּקְרָא אֵת שְׂמָהּ חַוָּה עַל שֵׁם שִׁמְחָה (רב) וְזֹהוּ שֵׁם אִמְרו
 י (עשרה בק.) קבין שיחה ירו
 i. e. Et vocavit nomen eius Eva
 va, quia (multum videlicet) loquitur. Et hoc est, quod dicunt
 (sc. Magistri nostri in *Talmud* קדושין ס' נשים ס' f. 49.) de-
 cem cabi (mensuræ frumentariæ genus) garrulitatis descenderunt
 in mundum, novem acceperunt (sustulerunt) mulieres. Sed obstat
 ipsa Scriptura S., quæ aliam nominis hujus nobis etymologiam
 expressis ostendit verbis C. 3, v. 20. quod scilicet Adam uxorem
 suam חַוָּה vocaverit, quoniam ipsa mater esset כָּל-חַיֵּי אֵת-כָּל-חַיֵּי
 omnis viventis. Lutherus ad genus humanum adplicare videtur, reddidit
 enim: Darumb daß sie eine Mutter ist aller Lebendigen clarissi-
 mè verò Onkelos אִתְּנָהּ לְכָל-בְּנֵי אָדָם omnium filiorum hominum.
 Eodem sensu R. A. Ezm אדם מכל חי מכלי אדם ad h. l.
 Et hanc limitationem in *Arabe* etiam cernere est, qui ita habet:
 ושמתי אדם אשם זרנתה חוה לאן כנת אדם
 וִּזְמַנִּי אָדָם אֶשְׁמֶה זֶרְנָתָהּ חַוָּה לְאַן כְּנַתְּ אָדָם
 vocavit Adam nomen uxoris sue
 Eva, quia ipsa mater fuit omnis VIVENTIS LOQUENTIS seu
 RATIONALIS. Respexerunt etiam forsan huc LXXII. Cur
 autem י in ח sit permutatum, (Radix enim est חוה i. e. vixit, in
 Piel, in vita conservavit, vid. Psal. 22, 30.) hanc reddunt nonnulli
 causam, ne cum חוה quod bestiam notat, nomen Eva confun-
 datur. Voluit hoc ipsum Sapiens דָּמָעוּ quando ad hunc locum
 ita commentatur לא קרא ביוז כי מה הפרש יש בין שם החיות
 דויו והיוז כי מה הפרש יש בין שם החיות
 מהחלפין
 POST

POSITIO III.

*Syrus multis N. T. ellipticas locutiones
supplevit.*

Multas dari in S. Codice Novi Instrumenti phrasas ellipticas, nemo facile, puto, iverit inficias. Plurimas studiosè collegit ac feliciter exposuit Philologiæ Sacræ destina ac seculi hujus ornamentum *Dn. D. Glassius* in Gram. Sacra passim. Non parùm nos capimus delectationis, quando multas eodem, quo laudatus Philologus & Theologus clarissimus supplevit modo, etiam ab Interpretibus antiquis *Syro & Arabe* videmus suppletas. Unde colligere in propatulo est, quàm egregiè sibi constet veritas. Nos misso impræsentiarum *Arabe*, pauca adducemus exempla, quæ in paraphrasi *Syrâ* obvia. Constat ex Apostolorum historia, Ephesios Dianam summâ devotione coluisse, quâ de causâ cùm scriba quidam excitatam turbam flexanimis verbis compescere vellet, in hæc erupit verba: *Quis nescit Ephesiorum urbem adituam esse magnæ Deæ Dianæ* καὶ τῆς Διοπέδης; Quæ postrema verba sine ellipsi accepit *Vulgatus*, reddit enim: *Jovisq; prolis*. Ast rectiùs doctiores Interpretes ellipticam hîc agnoscunt locutionem, ac subintelligunt ἀγάλματος vocem. Egregiè sanè horum sententiam adprobant vetustissimi Interpp. *Syrus & Arabs*. Nos hoc loco, quàm eleganter ac perspicuè *Syrus* reddiderit, videbimus: ita autem habet:  & simulacri ejus (sc. Dianæ) quod de cælo descendit. Persuadebant enim Dianæ Sacerdotes credulo populo, Idolum illud è cælo fuisse delapsum. Quis nescit Matth. 1. 6. ἐλλειπτικῶς dictum ἐκ τῆς τῆς οὐρῆς, ac subintelligendum γυναικὸς itemq; γερονῆας quomodo per posterioꝝ supplevit *Arabs*, per prius *Syrus*. Sic idem nominis ἰ additione complevit ellipticas locutiones Matth. 4, 21. Marc. 2, 14. Luc. 3, 24. & sequentibus Johann. 13, 2. c. 21, 2. & 15. Act. 7, 16. Nec tamen dissimulare possumus, eundem Interpretem haut rarò ellipticam locutionem fuisse sequutum, uti Marc. 15, 47. c. 16, 1. Joh. 19, 25.

ali

aliquando etiam aliter complevisse, ac factum à laudato *Dn. D. Glassio*, aliisque Interpretibus. Sic Luc. 6, 16. post *Ἰσίδου Ἰακώβου*, *Un. D. Glassius, Beza, Conzenius, Estius, Fr. Lucas, Barrhadas, &c.* subintelligunt nomen *Fratri*, at *Syrus* unà cum *Arabe* supplet per additionem nominis *Filii*. Idem ab iisdem factum, Act. 1, 13. Sed cum pagellæ ratio plura addere prohibeat, his sumus contenti.

POSITIO IV.

*Ellipticas locutiones Arabs in N. T. supplevit interdum,
& quomodo?*

Quod de *Syro* N. T. Interprete *Pos.* præcedente dictum, quòd non rarò ellipticas in Novi fœderis tabulis occurrentes locutiones suppleat, id ipsum de *Arabe* thesi hac adserere placeat. Exempla quis desiderat? evolvat Matth. 4, 21. Marc. 2, 14. Luc. 3, 24, & seqq. Joh. 21. 15. &c. ubi ellipticas locutiones per insertam dictionem *ἢ* complevit. Quemadmodum verò *Syrus* non rarò ellipsin secutus est, ita quoq; idem ab *Arabe* factum esse perspicimus, Ne tamen aliquis inde colligat, quasi *Arabs* semper *Syrum* fuerit secutus. (quemadmodum sunt, qui Arabicam N. T. versionem è *Syra* adornatam esse putant, cum quibus jam nil disputabimus,) in locum Marc. 15., 47. & 16, 1. ubi *Syrus* *ἐλλειπτικῶς* etiam loquitur, aut *Arabs* ob additionem nominis *ἢ* nihil tale hinc sibi tribui concedit. E contra *Syrus*, Joh. 6, 71. c. 13, 2. & 26. tollit ellipsin, quando inserit *ἢ*, quam tamen *Arabs* prorsus imitatur. Diximus etiam, quòd *Syrus* interdum aliter compleat ellipses, quàm factum à *Dn. D. Glassio* aliisque Interpp. Idem de *Arabe* adserere nos jubet Joh. 19, 25. ubi *ἐλλειπτικῶς* dici *Μαρία ἡ ἦν κλωπᾶ*, ac subintelligendum esse *γυνή*, suadent *Dn. D. Glassius, Estius, Barrhadas, Pasor*, itemque *Beza*: quamvis hic tam per *uxoris* quàm *filie* nomen ellipsin hanc expleri posse existimet, quod etiam *Camerarius* facit, hac tamen distinctione, ut ille magis ad prius inclinet. Nec obstat illius sententiæ, quod *Dieu* contra eam adferre videtur, *Arabs* ta-

B

men



men per additionem dictionis *بنو* i. e. *filia* complet. Quæ complendi modus etiã jamdudum *D. Hieronymo* non displicuit. Sic ubi *Luc. 6, 16.* ellipticum sermonem *Ἰσδαὺν Ἰανώβη* *Glossius* ac *Beza* complent, subintelligendo *ἀδελφόν*, *Arabs* juxta cum *Syro* amplectuntur nomen *filii*. Idem quoq; factum videmus *Actor. 1, 13.* ubi similiter *Glossius* & *Beza* fratris nomen volunt subintelligendum ex *Judæ v. 1.* quo in loco dum *Pasor* in voce *Judæ* asserit, *Judæm* vocari *filium Jacobi*, quis non videt manifestum memoriæ lapsus? *Luc. 3, 23.* ellipsin *Ἰωσήφ τῆς ἡλίου* *Dn. D. Glossius* supplet, subintelligendo *γαμβροῦ* i. e. *generi*, cum genealogia *Mariæ* contexatur, non *Josephi*. At *Syrus*, cum quo & *Arabs* hic facit, *filii* nomine complet. Quod etiam *B. Lutherus* in vers. *German.* fecit. Nec tamen existimandum, quasi generi voce h. l. non possit etiam suppleri, quod *Beza* putabat, maximè quando Latinè aut Germanicè exprimere & complere volumus. Et licet *Syrus*, itemq; *Arabs* *filii* vocem adhibuerint, exinde tamen colligi non potest, quòd *filii* vocem strictè acceptam voluerint, cum *Orientalès filii* voce etiam pro *nepotibus* & *generis* utantur, quemadmodum *Patris* pro *Avo* & *majoribus*, de quã re, quod ad *Ebr.* videri possunt *Dn. D. Glossius* *Rhetor. S. p. 447.* *B. Gerhard.* *Comm. in Gen. p. 682. 480. 558. 299.* *Spanb. dub. Evang. Part. 1. p. 19. & 20.* Ut non opus sit cum nonnullis è *Pp. Græcis* statuere, quasi *Josephus* duos *Patres* habuerit, alterum verum ac naturalem, nim. *Jacobum*, & ad hunc respexisse *Matthæum*, alterum autem νομικὸν sc. *Eli*, de quo *Luc. c. 1. cujus post obitum uxorem relictam Jacobus illius ἀμωήτηρ* duxerit, & *Josephum* genuerit.

POSITIO V.

Æthiopica Lingvæ utilitatem, facilitatemq; commendat.

Linguam hanc elegantissimam qui vilipendunt, vel averfantur, quod difficilis forsitan sit, nec quicquam omninò utilitatis illius cultori ceu laboris præmium reddat, nã ille minus æquus rerum æstimator nobis videtur atq; censor. Ac *facilitas* quidem linguæ hujus tanta est, ut sponsonem face-

re non vereamur, si quis Ebraëâ Linguâ imbutus, circiter men-
fis spacium illi impenderit, eo usq; sit progressurus, ut pro-
prio Marte, adhibito tamen Lexico (quale dedit nobis *Jaco-
bus Wemmers* unâ cum Institutionibus Grammaticis ejusdem
Linguæ, Romæ 1638,) Æthiopica scripta interpretari
utcunq; ac intelligere possit. Neq; enim talem in omnibus
Linguis Orientalibus quispiam requireret notitiam, ut sine
Lexici subsidio intelligere vel loqui, omnis qui illarum tene-
tur amore, illas debeat. Sufficit n. nobis, quibus ipsa Orientis
Regna adire denegatum, si antiquas, quæ in linguis his ex-
tant, S. Scripturæ versiones evolvere, & quomodo Orienta-
les Ecclesiæ hunc vel illum Scripturæ divinæ locum intelle-
xerint, inde perspicere possimus. Nec versionibus Latinis
semper hîc fidendum, quippe quas non rarò Papales ad suam
adornarunt genium. Nolumus jam memorare, quòd Vetus Te-
stamentû, si *Helvico* fides habenda, in *Ægyptiacam, Indicam, Ar-
meniacam, Persicam, Arabicam, Æthiopicâ* &c. antiquitus sit trās-
fusum Linguam, quæ tn. versiones temporû injuriâ ferè perie-
re, ut nihil nobis de illis propè restet, nisi desiderium, & quòd
aliquando extiterint, notitia. Urgere tamen aliquis non in-
commodè forsan posset, quòd etiamnum præter *Ambicam* &
Syriacam Psalterii ac Novi fœderis paraphrasin, extet quoque
Æthiopica. Et Psalterii quidem Interpretatio Coloniae edita
superiori seculo per *Johannem Potken*. Novi autem Testamenti
versio edita Romæ 1548. curâ *Petri Æthiopsis* Monachi. De
quarum versionum licet antiquitate nihil jam certi adfirma-
re audeamus, ex antiquo tamen Codice MS. illas desumptas
esse, haut improbabiler statui potest. Nec præterire debe-
mus, quòd nonnulli tradunt, Christianam religionem inter
primos suscepisse Æthiopes, transferente illam in amplissi-
mum illud regnum Eunuchò quodam, Thesaurario Canda-
ces Æthiopum Reginae, qui à Philippo Apostolo baptizatus
& in fide de Christo informatus, prout Act. II, prolixè le-
gere est. Confirmasse postea in receptâ fide Christianâ Æthio-
pes ac latius Religionem propagasse *Mattheum* Apostolum &
Evangelistam, nonnulli tradunt. Latissimè in Asia cum
Æthio-

Æthiopico Regno Religionem Christianam sese extendisse, putat Cl. *Crinesius* Disc. de Conf. Lingg. c. 8. indicio esse cruces Æthiopicas, quæ in Giapan, Sinan & alibi visuntur. Thomæ etiam templum in Regione Mæabar situm, nil nisi Æthiopicum habere, cruces, structuram multaq; alia, imò ipsum nomen, quod non Indicum nec Persicum, sed Æthiopicum, nim. *Chawaria* h. e. *Apostolus*, tradit prædictus *Crinesius*. Adhibent sanè Æthiopes vocem ጠወረዖ ; quam *Scaliger* etiam per *Apostolum* exponit, in de Emend. Temp. p. 338. Sequuntur *Scaligerum* alii, & inter hos quoq; *Crinesius*: sed quod pace tantorum virorum dicamus, potius videtur *liberam*, ex nobili familia ortum notare. Est n. à Nomine nudo ጠወረ nobilis libera ac vaga familia, quæ longè latèq; sese extendit & quasi vagatur, sic Ps. 22, 30. ጠወረት ጠወረት in familiis vestris, ἢ τῶν Ἀγαποῦσιν. Radix est ጠወረ ; contractè ጠረ abiit, liberè vagatus est, & hinc est allegatum nomen ጠወረ & ab hoc ጠወረዖ à quo descendit nomen patronymicum ጠወረዖዖ ortus ex *zagà* seu nobili familia. Talis certè est Æthiopum Rex, qui communi nomine ገገወዖ ጠወረዖዖ salutatur; Est enim Monarcha & à Davide usq; (persuasum enim sibi habent Æthiopes, Æthiopia Regiam, quâ de Sacrae Historiæ commemorant, quòd ænigmatibus Salomonem tentare, ex Saba ad illum fuerit profecta, ex Salomone concepisse filium nomine *Menimelech*, prout *Reatinus* tradit in Recens. Reg. Æth. :) familiam suam recenset. Sed de hac re alibi. Addamus saltim hoc, ex prædictis colligi quodammodo posse, Æthiopes cum tam promptè Christianam religionem susceperint, verbi divini eate. nus quoq; habuisse curam, ut in suam transfuderint libros sacros Lingvam.

SOLI DEO GLORIA,

01 A 6640


ULB Halle 3
003 108 309




Sb.

VD 17







⁴⁷
ΠΕΝΤΑΣ
POSITIONUM

48

ex
Lingva Ebræâ, Chaldæâ, Syrâ,
Arabicâ & Æthiopicâ,

quas,
Divinâ Gratiâ favente,
In Celeberrimâ Academiâ Leucoræâ
publicè ventilandas proponunt

M. JOHAN: ERNESTUS GERHARDUS
JENENSIS,

49

et
PETRUS WENZ/
Stetin: Pomeranus.

ad d. XVII. Februarij
In Auditorio Philosophorum
horis antemerid.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERT, Acad. Typogr.
clō lōc XLVII,

